DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

SISTENS

DESCRIPTIONEM
CASUS RARISSIMI SPINAM BIFIDAM TOTALEM
ET
COLUMNAM VERTEBRALEM ANTRORSUM INSIGNITER CURVATAM EXHIBENTIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSIS

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XIV. DECEMBRIS A. MDCCCXXVII

H. L. Q. S.

PALAM DEFENDET

AUCTOR

HENRICUS GUILELMUS POTTHOFF

RONSDORFIENSIS.

OPPONENTIBUS:

J. DRIMBORN, MED. ET CHIURG. DOCT.

C. HUEK, MED. ET CHIRURG. DOCT.

H. WITTFELD, MED. ET CHIRURG. DOCRT.

ACCEDUNT TABULAE AENEAE TRES.

BEROLINI, TYPIS BRUESCHKIANIS.

VIRO

PRAECLARISSIMO, PRAECEPTORI DILECTISSIMO

CAROLO a GUERARD

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, CONSILIARIO MEDICO ET MEDICO PRACTICO ELBERFELDENSI

HASCE PAGELLAS

EX INTIMO ANIMI GRATI AC REVERENTIS SENSU

D. D. D.

AUCTOR.

Monstrum, quod describendum mihi proposui, benevolentia viri, summopere venerandi, Illust. Rudolphi, mihi obtigit, quam ob rem maximas ago gratias ob insignem istam favorem praeceptori, prae omnibus colendo. Nec minus Celeberrimo Dr. Schlemm, prosectori in theatro anatomico nostro, adiutori benigno in dissecando monstro, pergratum me praesto.

Inter monstra, quibus museum anatomicum Berolinense prae ceteris abundat, hoc, tum forma externa, tum mirabili distorsione columnae vertebralis maxime excellit, neque indignam dissertationi materiam praebet. Jam si externam monstri formam spectamus, corpus brevissimum, hernia umbilicalis maxima nobis occurrit, et lordosis tanta, ut spina postetior superior ossis innominati dextri et sinistri ab occipite resupinato, dimidiam pollicis partem distaret. Ani apertura externa vix pollices duos ab occipite remotă, situm omnino normali dissimilem posticum praebuit. Vulva ab ano pollicem dimidium discedens, ceteroquin formatione normali gaudens, in regione infima corporis in conspectum venit. Parti inferiori occipitis dextri bursa pyriformis, magnitudine ovi columbini, cute tecta, adhaesit. Quod ad partem anteriorem corporis attinet, facies omnino non a forma naturali discedens, collo interiacente nullo, thoraci insidebat. Pectus fere planum in utroque latere scapulis, infra vero collo herniae umbilicalis maximae limitabatur. Haec enim longitudine a collo usque ad fundum quatuor et dimidii pollicis, latitudine vero trium pollicum spatium explebat.

Extremitates, et superiores et inferiores bene formatae et nutritae. Tegumenta externa normalia se ostendebant. Caput et bursa pyriformis capillis nigricantibus obsita.

Corpus a vertice usque ad plantam pedis pollicum duodecim logitudinem exhibuit. Distabat mentum a fonticulo posteriore pollices quatŭor cum dimidio, a fonticulo magno qua-

tuor. Diameter transversus inter ossa bregmatis tres pollices effecit, vertex a collo herniae umbilicalis pollices sex et dimidium recessit. Processus acromiales pollices tres cum dimidio alter ab altero distabant.

Cute crassa et adiposa remota, musculi, ex rubro subnigri, molles apparuerunt, nonnulli modo thoracis plane et distincte cognoscebantur. Musculi vero colli profundiores, qui fasciculatim inter se cohaerebant, ob situm spinae dorsi valde mutatum, dignosci non potuerunt. Praeter ea statim in conspectum venit ligamentum, strictum, tendinosum, triangulare, quod, marginem superiorem ossis ileum dextri cum processu condyloideo dextro ossis occipitis coniungens, ligamento nuchae simile videbatur, et colligatione sua tenaci distorsionem spinae vertebralis et situm capitis lateralem inprimis sustinebat. Tab. II. f.

Ex musculis, qui manifestius apparuerunt, primus musculus trapezius fuit. Hic, portionibus duabus exortus, quarum superior ex parte inferiore occipitis, inferior e ligamento modo descripto proficiscebatur, utroque coniuncta, antrorsum et extrorsum versus angulum superiorem scapulae tetendit, eique insertus est Musculus latissimus dorsi, priori subiacens, tribus portionibus, quarum superior a margine externo ligamenti, media, a parte superiore ilei, inferior autem, a costis inferioribus prodiit, ortum ducens, inque tendinem excurrens, mediae parti marginis superioris scapulae firmo nexu adhaerebat. Ex angulo inferiore scapulae musculus, cucullari fortasse comparandus, egrediens, partem superiorem et lateralem colli petebat, lineaeque semicirculari partis mastoideae se inseruit. A parte anteriore cristae ossis ileum musculus exortus brevior, qui, directione transversali progrediens, angulum inferiorem scapulae attingebat. His remotis, musculus, (biventris cervicis et complexi speciem praebens,) latus, tenuis, a linea semicirculari, paullo posterius egressus, deorsum procurrens, processibus transversalibus vertebrarum, ad latus pressis, se immisit. Musculus latus, ab ortu suo, inferiore et anteriore cristae ilei parte strata deorsum et antrorsum misit, atque superne pluribus dentibus margini inferiori costarum omnium usque ad processum ensiformem adhaesit, inferne vero in membranam dilatatus, cumque altero, ei respondente, in linea alba sese commiscens, totum anteriorem et lateralem parietem abdominis formavit, in media autem abdominis parte herniam umbilicalem permisit, quam annulo amplo, carneoso circumdabat. Quod cetero in collo, latere et dorso musculosam structuram habebat, non satis accurate distingui potuit. Pectoris vero et extremitatum musculos normalis structurae inveni.

Bursa, in posteriore colli parte, cuius supra mentionem feci, haud facile dissecabatur; tecta enim membrana densa, crassitudine linearum duarum, aliquantulum liquoris glutinosi ex rubro flavescentis, continuit. Collum sacculi cum cavitate cranii communicans, parte sinistra margini posteriori et sinistro foraminis occipitalis, parte dextra ligamento nuchae, parte inferiore ossi coccygeo inhaerebat. Tela tenerrima, fibrosa, posterior medullae spinalis lamina,

cum cerebro cohaerens, in illo sacculo recondita erat; haec facile a pariete superiore separanda, in lobulos tres divisa apparuit. Tab. II. b.

Nervi ex ea nulli exoriebantur. Paries inferior sacculi, qui introrsum spectabat, liber et tantum dura matre, e cranii cavitate cum medulla spinali descendente, vestitus erat. Inter duram matrem et membranulam medullae spinalis tela cellulosa alba, liquidum illud glutinosum circumdedit.

Ossa ileum, quae bursae illae adiacuerunt, nulla coniunctione ossea inter se cohaerentia, tantum tela quadam cellulosa intestini crassi, locum ossis sacri obtinente, tecta erant.

Ex illa cellulositate pars fibroso cartilaginea, (quam cum ponte optime comparandum puto, et porro sic nominabo) versus os ileum sinistrum procurrit, et mox in processus duos fissa est, quorum dextrum, ossescentem, ad cristam, cui ligamenti ope adnectebatur, posteriorem ossis ileum dextri misit. Tab. II. k.

Sinister vero cristam posteriorem ossis ileum sinistri tangens, processus transversales spinae dorsi petiit. Tab. III. Fig. I. c.

Remota cute a thorace et collo sternum bene conformatum cum punctulis ossificationis nonnullis in conspectum venit; subiacuit illi glandula thymus perlonga, compressa, colore atrofusco tincta, superficie granulata et quasi acervulorum rubrorum congeries. Si internum thoracis spatium spectamus, angustia imprimis commemorabilis esse videbatur; distabat enim manubrium sterni ab atlante pollices duos; processus ensiformis vero ob insignem spinae dorsi curvationem, huic usque ad dimidiam pollicis partem admotus erat, quam obrem intestina thoracis, praecipue in parte inferiore compressionem maximam passa erant. Uterque enim pulmo formam elongatam, apice diaphragma spectantem, acceperat; structura et colore glandulae thymus simillimus. In media thoracis parte inter pulmones, cor, parte anteriore glandulae thymi opertum, nullo paricardio circumdatum, forma omnino variata, situm obtinuit.

Apex enim cordis versus basin, quae columnae vertebrali adiacebat, ita compressus fuit, ut forma cordis pyramidalis in rotundam et depressam mutata appareret. Trachea, oesophagus et vasa maiora spinae curvationem sequentia, via curvata e collo in thoracem descendebant. Larynx, ab initio antrorsum flexus, cum angulo anteriore cartilaginis thyreoideae palatum spectabat, unde linguae fere subiacuit. Diaphragma ob illam angustiam thoracis coarctatum a columna vertebrali ad processum ensiformem spatio dimidii pollicis, a latere dextro usque ad sinistrum duorum pollicum se extendebat, et cavitatem thoracis ab abdomine disiunxit. Isthaec autem cavitas ad spatium minimum reducta, omnibus intestinis systematis chylopoetici, in hernia umbilicali inclusis, carebat. Paries anterior, musculo ante descripto formatus, a processu ensiformi deorsum et paullo retroversus regionem pubis tendebat. Parietem posteriorem cavitatis abdominis ossa ileum, musculis teneris obtecta, exhibuerant. Cavitatem abdominis internam peritoneum, modo, mox describendo, circumvolvit. A parte

enim interna et superiore annuli musculosi, supra descripti exoriens, peritoneum, membrana tenerrima, herniam umbilicalem in toto ambitu circumdabat, et duplicaturis consuetis ligamenta inter ipsa intestina formabat; tum in collum herniae regressum, cavitati abdominis se immisit, per parietem anteriorem descendit; tunc fundum vesicae, uterum, ligamenta lata formans, et intestinum rectum obtexit; deinde per parietem posteriorem adscendens, columnae vertebrali, ostio herniae imposito, se affigebat, Hoc loco insertionis intestinum crassum, e hernia proveniens, aorta et vena cava peritoneum perforabant.

Saccum herniosum, cute externa carentem, membrana stricta, fibrosa, splendens, involvit, atque annulo supra descripto tali modo se inseruit, ut cutem externam perforare visa sit. Hernia in cavo suo hepar, lien, ventriculum, pancreas, intestina tenuia, et maiore parte crassa continuit. Hepar, inter haec spatium maximum ex collo in fundum complectens, parieti sinistro adiacuit, omniaque cetera intestina ab anteriore parte obtexit. Formam fere globosam, excepto lobulo sinistro, ostendit, cuius planities posterior paullo concava apparuit Colore atrofusco tinctum erat. Substantiam hepatis spectans, eosdem inveni acinulos, quorum supra in descriptione glandulae thymi et pulmonum mentionem feci. Vesica fellea, planitiei concavae lobuli sinistri insidens, materie tenaci ex fusco rubescente ad modicam magnitudinem extensa erat. Ventriculus, qui sinistrorsum a vesicula fellea in eadem cavitate lobi sinistri hepatis situm habebat, ex oesophago progressus, perpendiculari directione vix in latitudinem linearum duarum extensus, descendit. Intestina tenuia tota extensione in globum conglobata, pone vesicam felleam compacta erant. Coecum perparvum; processus vermiformis, adscendens, pollicem cum dimidio effecit. Diameter intestini tenuis lineam non excessit, intestinum crassum contra, versus anum dilatatum, lineas quinque superavit. Huiusce decursus inprimis memorabilis videtur, circumvolutiones enim tres in adscendendo perfecit. Primum, dum ab ortu in parte sinistra ad dextram se convertens, usque ad finem superiorem fossae longitudinalis dextrae hepatis se extulit et, arteriam hepaticam circumdans, ad latus sinistrum rediit, secundam, dum ventriculum et posteriorem lienis partem amplectebatur, tertiam, dum hepatis marginem superiorem superans, oesophagum transgrediebatur, indeque dextrorsum per annulum abdominalem in cavitatem abdominis adscendebat, quam ingressum, a parte antica ad posticam traiecit, et directione horizontali inter ossa ileum procurrens, in anum demum abiit. Lien, forma magis oblonga, sedecim lineas adaequans, situm lateralem et posteriorem in sacco hernioso pone ventriculum obtinuit, et speciem granulatam hepatis tulit. Uterus cum vagina situ et forma, in parte inferiore cavitatis abdominis, normalis. Primi enim corpus novem linearum: cavitas ab orificio interno usque ad fundum dimidii pollicis spatium longitudine explebat, latitudine vero vix duas lineas tenebat. Ligamenta quae vocantur lata, nomini satis respondebant, et rotunda structurae firmae fuerunt. Fimbriae in apertura abdominali tubarium Fallopii evidenter naturam suam manifestabant. Ovaria grano

miliario similia. Vagina, longitudine pollicis, innumerabilibus pliculis insignis, pulchram speciem structurae regularis teneraeque praebuit. Labia maiora vulvae crassa, lata, novem lineas longa, minora vero tenuiora, margine libero vaginam clauserunt. E systemate uropoetico renes prae ceteris consideremus; retro cesserunt omnino, et, fini inferiori spinae vertebralis, cuius curvaturam deformem mox describam, oppositi, magnitudinem nucis avellanae, colorem ex nigro fuscum, structuram vero tam mollem habuerunt, ut nil nisi sanguinis coagulum esse viderentur. Renes succenturiati, his multo maiores et densiores, eos in parte superiore et exteriore circumdederunt. Uretheres solito more ad vesicam urinariam tendebant.

Haec, cute externa obtecta, eique adnexa, inter illam et uterum medium tenuit. In longitudinem ad lineas novem protracta erat, latitudine ad lineas tres. Fundus vesicae in urachum excurrit, qui per ostium herniae ad parietem internum et anteriorem sacci herniosi ad funiculum umbilicalem, in partem inferiorem et posteriorem sacci herniosi intrantem, tendebat.

Cor, cuius supra mentionem feci, vasa ordine consueto emisit. Haec in pectore nil praeter naturam habuerunt, in abdomine vero multo a norma recesserunt. Descendebat enim aorta per hiatum aorticum in cavitatem abdominis, dextrorsum ab oesophago, septulo in decursu per foramen oesophageum ab aorta disiuncto. Pone hanc vena cava sita erat. Ex aorta, ubi ostium sacci herniosi tetigit, ramus, crassitie ipsi comparandus, ad saccum herniosum tetendit, qui, in tres ramos divisus, dextrum hepati, medium intestinis tenuibus, sinistrum vero lieni immisit, quisque horum suum attingens organon, in plurimos abiit ramulos. Ex ramo lienali ramulus venit, mox denuo divisus, ad ventriculum progrediebatur. Hinc aorta columnam vertebralem usque ad finem secuta, in iliacas discessit, et utrique reni interposita, his etiam cum arteriis prospexit. Ex posteriore parte aortae ramuli plurimi parvi per foramina spinae vertebralis ad dorsum ingressi sunt. Iliacae, per internam ossium iliacorum planitiem ad crura procurebant et ubi quaeque ipsum crus intrabat, ramus, quem epigastricum dicam, ex a sat validus exortus est, qui in parietem anteriorem abdominis adscendit, et primo ramulum ad uterum, dein ad vesicam misit. Arteriae vesicales, cum uracho funiculum umbilicalem ingressae sunt.

Ramus autem ille epigastricus ad ostium sacci herniosi in decursu suo pervenit, hunc intravit, et intestino crasso adhaerens, illum, sensim attenuatus, usque ad coecum prosecutus est.

Venae, arteriarum distributionem sequentes, eodem modo in truncum coniunctae, ad venam cavam redierunt.

Tota columna vertebralis deformitatem prae ceteris memoratu dignam praebuit. Inter omnes enim, quaecunque distorsionum spinae dorsi cum spina bifida observationes mihi innotuerunt, haec quasi unica a ceteris diversa existere videtur. Exhibuit spina dorsi ex atlante usque ad ultimam vertebram lumbalem corpus continuum cartilaginosum, cum punctulis ossi-

ficationis passim insidentibus. Curvatio eius triangulum, cum angulo superiore obtuso, inferiore acuto, posteriore vero aperto formavit, ita ut atlas, anteriori parti foraminis magni adhaerens, et vertrebra lumbalis ultima vix dimidii pollicis spatium inter se distarent. Vertebra lumbalis ultima a margine posteriore foraminis occipitalis magni lineas quatuor distabat. Latus trianguli superius e vertebris colli, medium e vertebris dorsalibus inferius e lumbalibus compositum est, ita quidem, ut spina, ab atlante incipiens, modica flexione primum inferius, anterius et dexterius, dein paullo elevata inque curvationem anguli superioris continuata, hinc in regione dorsali in arcum sinuata, angulum inferiorem attingat, qui quidem angulus paululum sinistrorsum declinatus est. Pari modo et latus trianguli inferius curvationem infra concavam, supra convexam effecit. Latus superius et inferius pollicem, medium vel anterius unum cum dimidio tenebat. Angulus anterior a parte basilari ossis occipitis lineas novem, a mento pollicem cum liniis quatuor distabat. Linea recta, si e latere medio in partem superiorem producta esset, in aperturam posteriorem canalis nasalis incideret. Singulae vertebrae, tantum e corporibus et processibus transversalibus conformatae, et arcis omnino carentes ne suturis quidem invicem seiunctae, exceptis atlante et epistrophaeo, planum continuatum ab atlante usque ad vertebram lumbalem ultimam formaverunt. Columna vertebralis ex apice, quo a margine anteriore foraminis occipitalis paullo distabat, huic ligamento, dimidiae liniae lato, adglutinata erat. Ab apice usque ad basin columna sensim sensimque latior facta est, ita quidem, ut supra lineas quatuor, infra vero in regionae lumbali octo lineas latitudine teneret.

Ubi spina vertebralis in ultimam vertebram lumbalem terminabatur, os, quod mihi vertebra spuria prima esse videtur, paullo retro et extrorsum se ostendebat. Latitudine lineas novem habebat. Pars media, laevissima, a lateribus lingulis duabus, erectis, distincta erat, ut hac ratione sellae formam subtilissimam acciperet. Partes autem laterales foraminibus duobus, quorum postea mentionem faciam, perforatae apparuerunt. Ossiculum illud, quam modo in parte sinistra ligamenti tenuis sed firmissimi ope columnae vertebrali adhaereret, prope aliud, elongatum, cylindricum, longitudine pollicis dimidii adiacuit, quod partem dextram, finis columnae obtexit. Hocce, ex quatuor ossiculis constans, quae involucri stricti, e ligamento nuchae supra descripto nati auxilio inter se coniungebantur, apice ad cutem externam conversum erat. Os isthoc tum forma tum constructione ossis coccygis naturam habere videbatur. Tab. II. c.

His ossibus remotis, tertium, eiusdem magnitudinis, crassitie cauli pennae corvinae adaequans, perscrutanti mihi apparnit. Corpus osseum illud paullo curvatum initio et fini curvaturae spinae interiacebat.

Utrumque spinae vertebralis latus processus transversales, plane ossificati, ossicula latiuscula, irregularia, compressa, et inter se coniuncta, limitabant, ea tamen ratione, ut apicibus, qui in marginem confluebant, retro spectarent. Processus transversales sinistri vertebrarum colli, ab ipsa spina disiunti, in ossicula duo quadrangularia transmutati, occipiti paullo sinistrorsum

adiacebant. Tab. III. Fig. I. aa. Processus transversales vertebrarum thoracis eiusdem lateris pari modo inter se concreti spinae ita affixi erant, ut margo exterior, laevior, retroversus, marginem externum foraminis occipitalis magni, margo inferior vero, dentatus, pectus spectaret, et cum ipsa spina angulum rectum formaret. Fig. I. b. Ex iis in margine superiore, occipiti adpropinquatis, pons ille cartilaginoso osseus, supra iam descriptus, ad os ilium sinistrum tendebat. Fig. i. c. c. Tab. II. l. Lumborum processus transversales cum ceteris coniuncti ab eorum vero directione angulo recto deflexi, latere exteriore, retrorsum, interiore vero antrorsum spectabant, qui quidem processus, ut ceteri, cum margine superiore vel exteriore, lato et revoluto, foramini occipitali se appropinquabant. Tab. II. d. d. Tab. III. fig. i. f. Coniunctione omnium, paries sinister cavitatis, quae laminam anteriorem medullae spinalis circumdabat, formabatur. Omnes processus transversales, et colli et dorsi et lumborum parietis dextri in os planum coaliti, cavitatem illam dextra parte clauserunt. Huiusce ossis margo superior multimodo incisus cum occipite, ligamenti tenacis ope, e processu mastoideo et condyloideo ossis temporis et occipitis orti, cohaesit.

In parte antica spinae, costae, tredecim lateri dextro, duodecim vero sinistro adcubantes, videri poterant. Superiores imbricatae, membrana intercostali stricta inter se cohaerebant. Costa tertia et quarta dextri lateris, radiculis tribus arcuatis inter se et cum ipsa columna coniunctae et in latere sinistro medio concretae, versus sternum denuo recesserunt. Septem costae in utroque latere ad sternum pervenerunt; costa tredecima, azyga, costae primae, quae sternum attingebat, et claviculae superimposita erat. Ceterum costae nil praeter naturam ostenderunt, et cum clavicula et sterno prorsus ossificatae fuerunt.

Si regionem pelvis disquirimus, loco eius ossa duo, plana, obovata, quae sola os ileum cum acetabulo exhibebant, in parte corporis posteriore reperiemus. Ossis ischii enim et pubis vestigia nulla. Superne ossa ileum, spatio linearum trium alterum ab altero, distabant. Locum ossis sacri, ut supra iam commemoravi, intestinum rectum tenebat. Tab. III. Fig. II. m. m. n. Dextrum cum occipite, ligamento supra descripto, sinistrum vero cum processibus transversalibus vertebrarum thoracis et lumborum simili ligamento cohaesit. Tab. III. Fig. I. g, Ossificatio ossium ileum a media parte eorum fere usque ad marginem progressa est.

Osse occipitis remoto cerebellum in conspectum venit, cuius tam involucra, tam formam normalia inveni. Medulla oblongata vero in duas laminas fissa, per foramen occipitale descendebat. Posterior lamina per marginem posteriorem foraminis occipitalis retro flexa, in bursam supra descriptam, ingressa est; laminam anteriorem per anteriorem foraminis occipitalis marginem descendentem, cavitas spinae vertebralis excepit. Utraeque laminae, cum tantopere inter se distarent, tela cellulosa interiecta fuit, et cavitatem quartam cerebri, hinc plane apertam, ita explevit, ut nulli liquori locus esset. Dura mater, quae ex cavitate cranii ortum ducebat, planitiei internae vertebrarum firmo nexu adglutinata, per vertebras usque ad infimam partem columnae descen-

dit, deinde ad superficiem convexam vertebrae spuriae ossis sacri producta, in margine eiusdem inferiore definita est. Hoc modo saccus formabatur, qui, ad partem posteriorem apertus, laminam anteriorem medullae spinalis cavitate suo tenebat. Haecce ipsa statim a foramine occipitali in fasciculos divisa est, quibus parietes laterales et anteriorem et posteriorem sacci partem circumdedit, qui quidem fasciculi in sella vertebrae spuriae ossis sacri denuo coniuncti, per hanc procurrerunt, et in partes duas, sinistram et dextram secesserunt. Dextra, quae sinistrae modo appendix esse videbatur, medio foraminulo perforata, apice inferiore cristae superiori ossis ileum dextri incubuit. Pars sinistra, vera medullae spinalis continuatio, in formam rotundum mutata, ad cristam posteriorem ossis ileum sinistri processit, dein ponte, supra memorato, obtecta, et in nervum ischiadicum commutata, per planitiem posteriorem ossis ileum, usque ad trochanterem magnum protendit; hic in ramos duos magnos divisa, alterum profundum, ipsi femori, alterum, superficialem, popliti immisit. Toto in decursu nervus ille ramulos hinc inde tum in musculos tum ad cutem disparsit. E margine lobuli sinistri duo nervi prodiere, qui, in ortu lineas tres inter se distantes, dextrorsum conversi, mox sese coniunxerunt, unde ischiadicus dexter orginem duxit. Ab ipso loco coniunctionis plurimi nervuli radiatim in partes vicinas abiere. Ischiadicus sinister, ubi ponti cartilagineo subiectus erat, nervulum per dextram pontis partem decursu parallelo cum ischiadico dextro ablegavit, qui, in duos ramos fissus, altero cum ischiadico dextro coniungebatur, altero, qui nervi pudendi communis partes susceperat, intestinum rectum, anum et pudenda filis munivit. Medulla spinalis, quae vertebris colli adiacebat, nervos quatuor per foramina nonnulla, colli et thoracis misit, qui egressi, plexum brachialem composuerunt, unde modo solito brachium, collum et dorsum nervos accipere. Ex foraminibus lateralibus vertebrae primae spuriae in utroque latere nervus profectus est, qui, per planitiem lateralem ossis ileum procurrens, cum nervo pudendo communi cingulo nerveo intestinum rectum circumdedit, ex quo annulo et uterus plurimos accepit ramulos, et nervus cruralis in utroque latere ortum suum duxit. Sympathicus in pectore per spinam vertebralem descendit, in abdomine vero ad anteriora in cavitatem sacci herniosi procurrit. Nervi omnes structura firma, colore albicante et neurilemate duro circumdati apparuerunt.

EXPLICATIO TABULARUM.

Tabula prima.

Monstrum ante dissectionem eadem magnitudine, qua in natura exstabat, delineatum.

Tabula secunda.

Conspectus monstri a tergo, reposita cute externa.

A. Cutis externa occipitis reposita.
B. Cranium.
C. D. Os ileum dextrum et sinistrum.
E. Anus.
F. Vulva.
G. H. I. Extremitates amputatae.
a. Bursa, laminam posteriorem medullae spinalis continens.
b. Lamina ipsa, in tres lobos divisa.
c. Os coccygis.
d. Processus transversales.
e. Medulla spinalis ex cavitate eveniens et in lobulos duos fissa.
f. Ligamentum, quod os ileum dextrum et occiput coniungit.
g. Nervus ischiadicus sinister, e medulla spinali proveniens.
h. Nervus ischiadicus dexter, radicibus duabus exortus.
i. k. Pons cartilaginoso ossea in processus duos partitus.
k. Processus dexter. l. sinister, ad marginem superiorem processuum lumbalium spectans.
m. Processus transversales lateris dextri.

Tabula tertia.

Fig I. Situs processuum transversalium sinistri lateris.
a a. Processus transversales colli, occipiti accubantes.
b. Processus transversales dorsi.
c. Pons cartilaginoso — osseus, ab intestino recto exoriens.
d. os coccygis.
e. Nervus pudendus communis.

f. Processus transversales lumbales.

g. Ligamentum inter spinam posteriorem superiorem ossis ileum sinistri et processus transversales dorsi et lumbales.

h. i. Os ileum sinistrum et dextrum.

Fig. II. Truncus apertus, ut spinae curvatio permagna pateat.

a. Pars basilaris occipitis.

b. Maxilla inferior.

c. Corpora et spina vertebralis ipsa.

d. Occiput.

e. Costa tertia et quarta, ramis tribus exorientes.

f. Ligamentum inter occiput et atlantem.

g. Palatum molle, adhuc separatum.

h. Processus pterygoidei.

ii. Initium nervi cruralis e parte posteriore per foramen laterale vertebrae primae spuriae eveniens.

k. Uterus.

l. Nervus pudendus communis.

m m. Ossa ileum.

n. Intestinum rectum.

CURRICULUM VITAE.

EX DECRETO

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS ADJECTUM.

Ego Henricus Guilelmus Potthoff, confessioni addictus evangelicae, natus sum die XX. Septembr. A. MDCCCV. Ronsdorfiae, oppido Rhenano parentibus Friderico Potthoff, medico practico et Carolina, e Gente Neeff, quos parentes optimos iam inter coelites veneror. Usque ad annum tredecimum in urbe paterna linguis tam antiquioribus quam recentioribus, aliisque disciplinis, quibus aetas iuvenilis imbui solet, instructus sum. Posthac Gymnasium, quod Bielefeldiae floret, usque ad annum MDCCCXXI frequentavi, ubi omnibns doctrinis, quibus in gymnasio pueri institui solent, imbutus sum. Tum almam Rhenanam petii, ibique anno MDCCCXXII. Ill. Gratz, rectore magnifico, in numerum civium academicorum susceptus, atque albo gratiosi medicorum ordinis decano spectabili a Walther adscriptus, septem per semestria praelectionibus professorum ordinis medicorum ac philosophorum interfui.

Exordine philosophorum mihi exposuerunt Cl. van Calker psychologiam et metaphysicam. Cl. Nees ab Esenbeck sen. botanicen generalem. Cl. Nees ab Esenbeck jun. botanicen pharmaceuticam adiunctis excursionibus. Cl. Goldfusa zoologiam. Cl. a Munchow physicen experimentalem. Cl. G. Bischoff chemiam experimentalem atque phyto- et zoochemiam. Cl. Hüllmann historiam aevi medii ac recentioris. Cl. Dr. Esser logicam.

Ex medicorum ordine mihi praeceptores fuere Cl. Windischmann in encyclopaedia et methodologia medica. Cl. Weber in osteologia, syndesmologia, anatomia comparata, neurologia et in sectionibus cadaverum forensibus. Cl. Mayer in anatomia generali, speciali, pathologica et in hystologia. Viri Cl. Mayer et Weber in cadaveribus dissecandis. Cl. Ennemoser in pathologia generali. Ill. Harless materiam medicam, semioticen, morbos venereos et artem medicamentorum praescribendorum et Cornelii Celsi de medicina libros mihi exposuit. Cl. Nasse physiologiam, therapiam generalem et specialem, medicinam forensem, morbos psychicos, et anthropologiam me docuit, qui et in clinico medico et policlinico per annum integrum practicando moderator mihi fuit. Ill. a Walther praecepta de chirurgia, de cognoscendis et curandis oculorum morbis, de fracturis et luxationibus ossium, de fasciis et deligationibus chirurgicis nec minus chirurgicas operationes et instrumentarium chirurgicum mihi exposuit, eundemque in clinico chirurgico et ophthalmiatnico per annum ducem habui.

Tunc Elberfeldiam petii, ubi Ill. Consiliarius medicus a Guerard per annum assistentis medici officium mihi committendo, occasionem in arte medica magis magisque me excolendi mihi praebuit optimam.

Anno MDCCCXXVI mensi Octobri Wirciburgum profectus sum, ubi praelectiones Ill. d'Outrepont de theoria et praxi artis obstetriciae et de morbis muliebrum frequentavi, nec minus interfui operationibus obstetriciis et persemestre practicando in xenodochio et policlinico obstetrico, illo moderatore, exercitus sum. Hanc denique almam musarum sedem cum petiissem, a rectore magnifico Lichtenstein in numerum civium academicorum receptus, die XXII mens - Iunii anni MDCCCXXVII. nomen apud medicae facultatis decanum spectatissimum Rudolphi professus sum.

Ill Rudolphi in anatomia comparata, Ill. Horn in morbis psychicis, Cel. Jüngken iu operationibus ad oculum spectantibus, Celeb. Schlemm in angiologia et neurologia praeceptores mihi fuere.

Tentamine philosophico, medico et examine rigoroso rite absolutis, spero, fore, ut dissertatione hac conscripta et publice defensa, summi utriusque medicinae honores, in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I. Nascitur medicus, fit chirurgus.

II. Depressio cataractae extractioni praeferenda.

III. Cataracta semper ex inflammatione originem ducit.

IV. Nulla in praxi medica sufficit medicaminum divisio.


V. Partus praematurus artificialis sectioni caesareae et perforationi plerumque praeferenda.

VI. Adamus umbilico caruit.

VII. Praeter ligaturam in haemorhagiis, quae sisti possunt, spongia marina optimum est remedium.

VIII. Medicina et chirurgia separari possunt.

Tab. I.



del

F. Guimpel sculp.



C.L. Müller. ad nat del:

F. Guimpel. sculp: